



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

344. An ob negligentiam & remissionem dari possit Prælato Coadiutor.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

n. 71. Ricc. in pr. fori eccles. decis. 574. n. 1. alias 494. Idque secundum expressam dispositionem Conc. Trid. sess. 21. c. 6. per quam innovari cit. c. quentiam. ait Gonz. loc. cit. citans Grilenzon. conf. 5. n. 5. Ugo- lin. de off. Episc. c. 54. n. 2. Campan. in divers. Rubr. ju- ris. rub. 5. c. 5. Navar. &c. juxta ipsissima Tridenti- ni verba loc. cit. ubi: quacunque appellatione, & exem- ptione remota, Unde jam hæc Coadjutoris datio vi- gore Concilii non erit attentata, quamvis sit exe- cuta post appellationem interpositam à sententia ejus, qui judicialiter processit; quia per illud de- cretum tollitur appellatio ad effectum suspensiu- vum, sive facit, ut si huic assignationi interpona- tur appellatio, non suspendatur tamen dicta assi- gnationis executio, tamen fuerit ad superiorem appellatum. Castropal. tract. 13. d. 1. p. 9. n. 6. Bar- bos. loc. cit. n. 9. & 10. juxta Rotæ decis. in Dertusin. Archipresbyteratus. 16. Nov. 1594. non autem ad ef- fectum devolutivum. Castrop. Barb. Garc. ll. cit. juxta declarationem S. Congregat. poteritque ea appellatio interponi apud Metropolitanum, non obstante, quod Episcopus procedat tan- quam Sedis Apostolicæ delegatus, nisi quan- do procederet contra exemptum ut delegatus; tunc enim appellatio interponenda apud Se- dem Apostolicam. Castrop. loc. cit. Garc. n. 11. quin etiam num. 12. ostendit, quandonam pos- sit, aut non possit Episcopus prætextu, quod sic Sedis Apostolicæ delegatus declinare jurisdic- tionem Metropolitanam. Poterunt quoque ad hæc Coadjutoris deputationem in hoc casu procedere ii, ad quos spectat institutio. Garc. loc. cit. n. 8. juxta declarationem, ut ait, S. Congregationis. Non tamen ista potestas constituendi in hoc casu tali Parocho Coadjutorem censetur comprehensa in generali Vicariatus commissione. Sbroz. loc. cit. n. 2. Barbos. loc. cit. n. 15. citans Riccium ubi ante. Navar. in singular. can. concl. 56. n. 3. Narbon. de ap- pell. à Vicar. ad Episc. part. 1. n. 210. Porro in hoc casu Coadjutus abesse non poterit, ne melioris condi- tionis sit stultus quam literatus. Gonz. loc. cit. n. 30. juxta dispositionem Tridentini loc. cit. dicentis: propter deputationem Coadjutoris, Parochus, cui datus est Coadjutor, non poterit abesse à residentia. Dicun- tur autem ad hunc effectum illiterati seu imperiti illi, qui inhabiles sunt ad exploranda ea, quæ in- cumbunt muneri, & oneri beneficii, quod habent, & secundum dignitatem, statum & officium, ad quod assumuntur. Barbos. loc. cit. n. 13. citato Ric- cio in pr. fori eccles. part. 4. resolut. 547. Ventrigl. loc. cit. n. 14. qui etiam n. 15. addit, hæc non verificari in penitus illiterato, utpote cui non sit dandus Coadjutor; cum ejus provisio sit nulla. Sed quid si scientiam habitam amisit? Notandus quoque hic est textus posterior Tridentini loc. cit. Eos ve- rò, qui turpiter & scandalosè vivunt, postquam præmo- niti fuerint, coercant & castigent; & si adhuc incorri- gibiles in sua nequitia perseverent, eos beneficiis juxta SS. Canonum constitutiones, exemptione & appellatione semotà, privandi facultatem habeant &c. Ex his enim illud confici videretur, istiusmodi illiteratos curatos seu destitutos necessarià scientià, acce- dente malà, & scandalosà vita, etsi fortè nondum

omnino incorrigibiles, facilius amoveri à benefi- ciis posse.

Questio 344. An propter negligentiam & remissionem dari possit Coadjutor Pralato.

R Esp. affirmativè. Si enim id factum à Papa Regi remisè & negligenter se habenti in ad- ministracione regni, prout est casus in c. 2. de sup- plenda negligentia Pralatorum in 6. Gonz. gl. 5. §. 9. n. 25. potiore jure id poterit Papa respectu Prala- ti ecclesiastici. Castrop. tract. 13. d. 1. p. 9. n. 4.

Questio 345. Qualiter dilapidatio sit cau- sa dandi Coadjutorem?

R Espond. Pralato, dum is suspectus est de di- lapidatione bonorum Ecclesiæ, dandus Co- adjutor. Ventrigl. tom. 2. annot. 13. n. 12. Barbos. juris eccles. l. 3. c. 10. n. 20. Gonz. loc. cit. n. 27. citantes Abbat. in c. venerabilis, not. 4. de off. deleg. & in c. Heli. de simon. n. 8. Mandos. in reg. 2. q. 5. n. 6. Etenim hoc casu providendum de Coadjutore, quò ad temporalia tantum, si de cætero spiritualia bene administret. Ventrigl. loc. cit. Parik. de resign. l. 7. n. 10. siquidem juxta impedimentum Coadju- ti conceditur Coadjutor. Sic si temporalia admi- nistrare potest, solum conceditur Coadjutor pro spiritualium administracione, & è contra si spiri- tualia administrare potest, conceditur solum pro administracione temporalium. Castropal. tract. 13. d. 1. p. 9. n. 2. citans Azor. in sit. mor. p. 2. l. 3. c. 2. q. 10. Barbos. p. 3. de potest. Episc. alleg. 63. n. 13.

Quest. 346. An, & qualiter concedendus Coadjutor ab hostibus capto?

R Espond. Ab hostibus capto dandus Coadju- tor in spiritualibus & temporalibus. Ven- trigl. loc. cit. n. 11. Barbos. juris Eccles. l. 3. c. 10. n. 8. Gonz. loc. cit. n. 28. citantes Rebuffi. tract. de nomi- nat. q. 8. n. 27. juxta c. si Episcopus. de suppl. negl. pralat. in 6. & Clem. 1. de foro comper. sed reflecte quid dictum aliàs, nempe Episcopo capto ab infi- delibus devolvi administracionem ad Capitulum.

Quest. 347. An, & qualiter concedendus Coadjutor ob numerositatem populi?

R Espond. Propter auctam populi numerosita- tem providendum est Rectori de Coadjutore. Barbos. loc. cit. n. 16. Gonz. loc. cit. n. 25. citantes Casar. de Grass. decis. unic. de Paroch. non enim datur exinde justa causa dividendi parochiam, sed adhibendi ministros Coadjutores, dum solus Re- ctor eodem tempore pluribus infirmis providere non potest. Barbos. loc. cit. citans Rotam in Aquil- lan. nullitatis. erection. 10. Maji 1613. Verum vel ex his postremis patet, Episcopum non posse in hoc casu dare Coadjutorem propriè loquendo, Ventrigl. loc. cit. n. 16. Vide à nobis dicta in Foro benef. p. 1. ubi de Parochiis.